AD SPECTATOREM ANTIQUITATIS
AVENTICÆ Metropoleos quondam
Heluetiæ, ut est apud Cornel.
Tacitum lib: 17. GLAREANI
Hexastichon.

Mœnia lata uide non quæ præsentat is orbis
Oppiduli, sed quæ circulus exter habet.
Gentis Auentinæ cecidit suprema potestas,
Quæ caput Heluetiæ tempore prisca fuit
In Galbam nocuisse fidem, nocuisse tyrannum
Heu pudet, ut rueret gloria tanta uirûm

AD DIVUM FRIDOLINUM CLARO,,
NENSIUM PATRONUM.
Hymniculus Sapphicus
H. Glar:

Diue Confessor Fridoline Christi
Glareanorum decus, & patrone,
Scotiæ princeps, placidum remotis
Sydus ab oris
Te Deus magni fabricator orbis
Dixerat natem, miseræq; fortem
Gentis auctorem, pelagiq; flante
Turbine nätam
Tu maris freno cohibes furorem
Et domas terræ populiq; lites,
Cæsar Augustus mihi tu uideris
Fulmine sacro
Hostis infesto pauidus stupore
Mox tremit rauco moribundus ore
Signa uexilli dare terga cogunt
Illa sacrata.
Quid diu longis memorare uerbis
Est opus, norunt magis hæc fideles
Seruuli, sanctum quod ipse lumen,
Esq; manesq;

Ergo te

Ergo te diuum facili precamur
Voce Plutonis rigidi phalangas
Tartariq; æstus nitida minaces
Fronte repellas

Pelle Turcorum rabidas cateruas,
Et Petri cymbam positam periclis
Fluctibus tectam tumidis procellis
Duc agitatam

Fac quod ô dulcis ut ipse nosti
Commodum cunctis, itidemq; gratum,
Nanq; tu nostras tribulationes
Conspicis omnes

Gloriam magno canimus parenti
Filio laudem ferimus benigno
Flamini sacro tribuemus imo
Pectore honorem.

ODE SAPPHICA HENDECA,,
Syllaba ad D. Theodulum
Sedunens: Ecclie Epm.
à Glar: Cantata

Musa si nostras penetrare uenas,
Si chelys flauus recinens Apollo
Hæc uelint, sacro reboare plectro
Membra canentis

Solus ô Christi Theodule serue
Visus in nostris merito Camenis
Esses, & dono modulandus isto
Alme sacerdos

Quippe cœlesti, superumq; mensis
Primus accumbis genitoris aulæ
Illo Daphnæam tribuit coronam
Fronte nitentem

Dignus es fulgida tegier corona
Dignus immenso meritiq; cothurno
Dignus æterno recinendus hymno
Diue patrone